





DISQUISITIO  
SOLEMNIS

De

RESTITVTIO-  
NIBUS IN INTE-  
GRVM,

QUAM

TRIADE S.S. PROSPERANTE DECRETO  
& auctoritate

Amplissimi Ictorum Ordinis in celebri Argen-  
toratensium Academia

*Pro summis in utroque jure honoribus & Doctoratus  
privilegiis consequendis,*

*Publico certamini subycit*

Ad diem 21. Iunii Anno 1624.

ULRICUS *Lehenmair* NEOBURGO.  
Palat.



ARGENTORATI,

Excudebat PAULUS LEDERTZ.

M. DC. XXIV.

46  
17 639

1624, 6

8



NOBILI, AMPLISSIMO ET CONSVL-  
TISSIMO VIRO,

DOMINO CASPARO  
HEUCHELINO,

V. I. D.

*Celeberrimo, S. R. I. Reipublicæ Heilbrunnensis Syndico,  
nec non Consiliario Palatino Neoburgico &c.  
patrono suo patris instar honorando.*

Grati animi ergo inscribit

V. L.

# PRODROMUS.



Mne jus quo utimur, ait *Iust. §. ult. Inst. de I. N. G. & C.* vel ad personas pertinet, vel ad res. vel ad actiones. Redditur enim jus personis, super re & negotio aliquo controvertentibus apud Magistratum, per certa remedia tanquam per causam instrumentalem. *Ingeniosissimus Bach. Tract. de Act. disp. 1. th. 7.*

Quæ remedia sunt vel ordinaria, vel extraordinaria. Illa ex certa & generali lege vel edicto sunt introducta *Zaf. lib. 1. sing. Respons. c. 20. n. 3. cui adde Dn. Frid. Mind. Comment. 2. De Interd. n. 3. quatuor hujus remedij notas recensentem: hæc personæ aut negotio alicui speciatim, vel contra jus civile sunt concessa.*

Et hæc duo ita sese invicem excludunt, ut quoties quis communi auxilio & mero jure est munitus, non debet ei tribui extraordinarium aliquod auxilium *l. 16. in pr. ff. de Minor. nisi illud extraordinarium sit plenius, brevius, expeditius ac magis utile: quo casu extraordinarium cum ordinario concurrere elective non cumulative tradunt Dd. gl. in l. fin. C. si advers. rem jud. & in l. Aemilius in verb. restitui ff. De minor. Sich. ad l. 3. C. Quomod. & quand. jud. n. 26. & 27. Zaf. l. 1. resp. sing. c. 20. n. 18.*

Hinc aliquando vel propter moras judicii, vel propter impensas, utilius est minori, causam coram iudice priori, per beneficium restitutionis in integrum retractari, quam appellationem ab eadem interponere. *Maur. in tr. de Restit. in integr. c. 192. Bachon. in not. ad th. 14. disp. II. vol. 1.*

Sic v. g. minor ultra dimidium vendendo læsus uti potest hoc beneficio restitutionis: quoniam intentato remedio ex *l. 2. C. De Rescind. vend.* electio est emptoris an pretium supplere, autem restituere velit. *Sfort. Odd. tract. de Restit. in integr.*

A 2           tegr.



*ægr. p. 1. q. 17. dissentit. Fr. de Cald. in comment. analyt. in l. 3. C de Rest. min. verb. inf. legit. temp. n. 10.* Sunt autem, ut ad propositum redeamus, Extraordinariorum remediorum variæ species, de quibus *Zaf. 1. Resp. sing. 20.* hîc autem ea tractanda venit, quæ, quod rescindit ea quæ mero & summo jure valent, extraordinarium. *l. 16. pr. de minor. Maur. tr. de Rest. in integr. c. 2.* & ita non absurdè contra jus civile esse, dicitur. Nempe Restitutio in integrum.

Cuius utilitas cum non egeat commendatione, sed ipsa se ostendat, teste *Ulpiano in l. 1. ff. de Rest. in integr.* ideoq; siue ulteriore præfatione ad institutum propriùs accedam.

#### T H E S E S I.

Et re autem est, priùs quam ad rem ipsam perveniamus, pauca quædam de nomine referre: solet enim in omni tractatu priorum verborum potior autem rerum haberi ratio *Reinking. de Regim. secul. & Eccles. l. 1. class. l. c. 1. n. 1.*

2. Restitutionis autem in integrum verbum, cum per se variè & latissimè sumatur, de quo plenius *Sfort. Odd. p. 1. q. 1. art. 1. 2. 3.* tum etiam in jure nostro non unam admittit significationem.

3. Alia enim est restitutio gratiæ: eaq; vel plena, quæ locum habet in damnatis ex causa criminali. *de qua l. 1. Cod. de sent. pass. & restit.* vel minus plena, & in specie indulgentia vocatur.

4. Alia est restitutio justitiæ: & vel civilis, quæ ex constitutionibus principum descendit. *l. 33. de Re jud. t. t. C. si ex fals. instrum. vel test. jud.* vel prætoriam, quæ ex edicto prætoris descendit.

5. Et hæc iterum usurpatur vel pro imploratione restitutionis, vel pro remedio ipso restitutorio: cum ex plerisque restitutionum causis & capitibus in actione ipsa restitutio consistat: in qua significatione hic usurpatur.

6. Pluribus autem nominibus indigitatur, quæ eius Synonyma

onyma dici possunt, ut quod simpliciter appelletur extra-ordinarium remedium &c.

7. Notationem nominis quod attinet eam puto appellatam à retrò statuendo : quòd revocet & reponat in pristinum statum id quod cum læsione aliqua est gestum *Olden. Cl. 6. act. 8. pr. VVesenb. parat. hic. n. 3.*

8. Definitur vulgò à Dd. ut sit in pristinum statum repositio. *Maurit. c. 1. Sfort. Odd. p. 1. q. 1. art. 4.* aliter eam describit *Fr. Cald. comment. in l. 3. De Restit. min. verb. implorare in integr. num. 4.*

9. Est autem restitutio alia minorum, & eorum qui jure minorum utuntur: alia maiorum.

10. Trahit autem originem ex naturali æquitate, ex qua iridem sunt commertia *l. 5. ff. De Inst. & jure.* eidem enim æquitati quæ conventiones vult servari: iniquas conventiones rescindi convenit: ne alter alterius locupletetur jactura. *l. nam hoc naturâ. 14. ff. De Condict. indebiti.*

11. Quam naturalem æquitatem Prætor secutus, corrigendi juris civilis gratiâ, introduxit. *l. 2. l. 4. Cod. In quibus causis in integr. restit. non est necess.*

12. Ex quibus patet hoc beneficium esse generale, nec ad unam alligatum causam: sed ubi æquitas evidens possit impetrari *l. Divus 7. ff. h. t.* Certæ tamen eaq; frequentiores causæ edicto sunt comprehensæ. De quibus singulis sigillatim & distinctè agetur.

13. Quò autem melius intelligamus quinam restituere possint, prius haud incongruenter indagandū venit ad quānam speciem Jurisdictionis Restitutio sit referenda? Et quidem rescissionem actus jure civili validi, & actionis rescissoriæ concessionem actus esse jurisdictionis civilis, & in specie contentiosæ, neminē dubitare autumo. Cui potestati dicendi juris cum propter contumaces, jurisdictionis tuendæ, defendendæ, & statutis exequēdis, pars imperii quod mixtū appellatur

A 3

pellatur

8



pellatur ita sit annexa, ut quæcūq; sunt Jurisdictionis videā-  
tur etiā mixti Imperii: ita tamen ut quædā magis sint Impe-  
rii quàm jurisdictionis *l. 4. ff. De Jurisd.* non inutiliter quæri-  
tur num Restitutio sit magis Imperii quam Jurisdictionis?  
posterius contra communem sententiam affirmo: cum in  
hac nulla sit coercitio.

14. Inde colligitur restituere posse eos qui Jurisdictio-  
nem habent. *l. 16. §. 5. ff. De minor.* & vel propriam, ut Prin-  
ceps & jure novissimo quilibet magistratus ordinarius. *l. fin.*  
*C. Vbi & apud quem cog. rest.* vel mandatam sive in specie, sive  
ad Universitatem causarum. *l. fin. C. eod.*

15. Inter quos tamen aliqua est differentia: nam illi con-  
tra propriam sententiam *l. ult. C. eod.* non verò hi, possunt  
restituere: nisi sit interlocutoria & talis quidem, quæ totam  
causam non absorbeat. *Sfort. Odd. p. 1. q. 31. art. 18. n. 141.*

16. Neque igitur magistratus municipalis. *l. 26. Ad. Mu-  
nicip.* (quod non mutatum à *Iust. in l. ult. C. Vbi & apud quem.*  
quæ in Constitutione restituendi facultas datur propri-  
um tribunal, & jurisdictionem cum administratione haben-  
tibus, quo utroq; carent magistratus municipales) Neque  
arbiter compromissarius. *l. fin. C. eod.* cuius non est contra-  
ctum iure civili validum rescindere: & ex cuius sententia re-  
stitutionis effectus plenarius non potest consequi. Neque  
Iudex Pedaneus restituere potest. Per indices enim datos in  
*l. fin. C. eod.* intelliguntur i, quibus est mandata Jurisdictio.

17. Agitanda est autem causa regulariter in foro Rei:  
tum quia generale est, ut actor forum rei sequatur, *c. 8. Extr.*  
*De foro Compet. l. 2. C. De Jurisd. om. vid.* tum quia est eadem  
natura distractus quæ contractus. *Colleg. Argent. hinc th. 20.*

18. Si igitur ordinatio jure à Prætoze conceditur actio,  
tum pro conditione illius, quæ vel est in rem vel personam,  
ita etiam in hoc vel illo loco est instituenda: sin verò officium  
judicis est implorandum v. g. ex capite de minoribus, tum  
contra

142  
3  
contra ipsum cum quo contractum est, restitutio est implo-  
randa.

19. Excipiuntur tamen casus, si scilicet adversus libertatem  
petatur *l. 9. §. ult. vinc. l. 10. ff. De minor.* & tum in consistorio  
principis: aut si contra sententiam, & tum coram iudice qui  
eam tulit, vel eius superiore restitutio est petenda. *Odd. p. 1. q.*  
*32. art. 13. & quest. 69. art. 7.*

20. Sic adversus sententiam latam à Procuratore vel Ra-  
tionali Cæsaris, *l. 1. C. ubi & apud qu.* vel ab eo, qui vice sacra  
judicat *l. 18. §. 3. ff. De minor.* vel à Iudice dato à principe *d. l. 18.*  
*§. 4.* Princeps solus restitutionem indulget. Nec enim alium  
superiorem illi agnoscunt. Adversus autem sententiam pa-  
ris vel majoris restituere nemo potest. Et quia procurator  
Cæsaris non cognoscit inter privatos, utrinque; sed inter hinc  
privatam inde fiscum ideoque tanto magis solus Cæsar contra  
ejus sententiam restituere debet.

21. Subvenitur autem lapsis vel circumscriptis. *l. 1. 2. & 6.*  
*ff. h. t. sine culpa sua l. 7. §. 1. ff. h. t.* Eorumque successoribus *l. 6.*  
*h. t.* sive universalibus, ut hæredibus tam ex testamento  
quam ab intestato *Maur. c. 288. Item hæredibus hæredis. Odd. p. 1.*  
*q. 50. art. 1. n. 15.*

22. Inde etiam pupillariter substituti quia sunt hæredes  
pupillorum. *Princ. Inst. de Pupill. substitut. l. 8. §. 5. ff. De in-*  
*officioso testamento,* hi autem hæredes patrum testatorum  
(excepto casu rariore in *§. 4. Inst. De Pupill. subst. expresso*)  
hoc remedio uti possunt.

23. Vulgariter autem substituti tum demum restituun-  
tur, si ipsis testatoribus, quorum sunt hæredes hoc benefi-  
cium competebat. *in princ. Inst. De Vulgari substit.* non verò  
si hæredi *Sfort. Odd. d. tr. p. 1. q. 50. art. 2.*

24. Sive singularibus: ut scilicet unà cum ipsâ re veluti  
jus cessum ad ejusmodi successorem devolvatur restitutio.  
*fac. l. 24. in princip. ff. De minor.* Unde etiam Fisco ut pro-  
prie

priè successori competit, *Sfort. Odd. p. 1. q. 50 art. 4. n. 44.*

25. Consortibus etiam litis, si res vel causa individua sit & connexa, dari, argumento est *l. 10. in pr. ff. Quemad. servit. amittant. & l. 4. § 3. ff. si servitus vindicetur.*

26. Restituuntur autem adversus eos, à quibus sunt læsi, & interdum adversus eorum successores & etiam alios secundum casus & ex his descendentes actiones.

27. Succurritur autem ubicunq; æquitas evidens poscit. *l. 7. ff. h. t.* non tamen propter minimam rem vel summam si ve maiori rei vel summæ præjudicetur. *l. 4. ff. h. t.* si ve non. Iniquissimum enim esset ob minimum etiam quadrantem cõventiones bona fide initas rescindi *Sfort. Odd. p. 1. q. 4. art. 12. n. 102.* & hac ratione magno incommodo minoris ætatis homines afficerentur, nemine cū his cõtrahere volente & quodammodo ejus cõmercio interdiceretur, cõtra *l. 24. §. 1. ff. de mi.*

28. Neq; etiam in una eademq; causa iteratū peti potest: nisi novæ defensiones præsto sint, *l. 2. & ult. C. si sep. rest. in integr. post.* ne res semel ritè judicata temerè retractetur *Cujac. in parat. C. eod.* aut nisi semel per sententiam, à qua vel non appellatum, vel saltem appellationis facultas impetrata non est, denegatum fuerit: tunc enim à sentētia appellari itemq; ad appellandū minor restitui potest. *l. 1. & 2. C. si sep. in integr. rest. postul. c. ul. extr. de rest. Myns. 1. obs. 52 Maur. c. 132. 258. 259. 260.*

29. Peti autem potest si ve per se, si ve per Procuratorem ad id speciale mandatum habentem *l. 25. §. 1. ff. De Minor.* aut si de eo dubitetur stipulationem, rem Dominum ratam habiturum interponentem *l. 26. ff. de minor.*

30. Pater tamen *l. 27. ff. De minor.* item tutor, Curator, prælatus aliiq; habentes administrationem alieni patrimonii *Maur. c. 27. Myns. 2. obs. 26. n. 7.* absq; speciali mandato petere possunt.

31. Agnati etiam & affines quando de eorum interesse agitur petunt restitutionem per *l. 27. ff. de minor. Cujac. in parat. C. etiam per procur.* Et

32. Et quidem jure novo intra totos quatuor annos (ita enim jure veteri intra annum utilem experiri licebat) subductâ ætate minori, & omni legitimâ causâ. *l. ult. Cod. De Tempor. in integr. restit. c. 1. & 2. De Restit. in integr. in 6. & Clement. 1. eod.*

33. Quod tempus currit minoribus ab exacto 25. anno. Ecclesię autem & aliis, minorib. similibus i.e. à tempore perfectę lęsionis. *Sfort. Odd. p. 1. q. 20. art. 3. majoribus à die sublatti impedimenti l. ult. C. De tempor. in integr. restit.*

34. Nec interest sive sciant, sive ignorent: secus enim si statuam jus Usucapionum everterem, in quo non habetur ratio scientię vel ignorantię. *l. ult. C. de Prescript. long. temp. & daretur sanè post 100. annos hoc beneficium.*

35. Quomodo hoc tempus in heredibus, qui pro sua persona postulant, sit computandum vide omninò Clariss. Dn. Bocer. Preceptorem meum honorandum *disp. 10. th. 105 & seqq. class. 6.*

36. Hoc quadriennium tamen ad actionem doli, vel metus non pertinet: cùm *Iust. in l. ult. C. de temp. in integr. Rest.* saltem minorum & majorum qui Reip. causa abfuerint, vel aliis legitimis causis, quę veteribus legibus enumeratę sunt, fuerint occupati, mentionem faciat.

37. Nec pertinet ad restitutionem ex causa capitis diminutionis: ex qua perpetuum datur iudicium. *l. 2. §. ultim. de capit. minut.*

38. Et fit hęc petitio imploratione officii iudicis ut ex mero officio restituat *l. 24. §. fin. ff. De minor. vel actionem det.*

39. Factâ eo modo petitione, conceditur à magistratu restitutio causâ plene cognitâ. *l. 3. h. t.* quę tamen plena causę cognitio non est necessaria si restitutio incidenter petatur *c. 6. Extr. de Rest. in integr.* nisi causa incidat peremptorie

B riè

8



riè ad totæ negotium principale *Sfort. Odd. tr. De Restit. in integr. p. 1 q. 34. art. 7.*

40. Concessâ jam restitutione controversia cepta currit triennium sicut in aliis causis civilibus. *l. 13. C. De Iud.* quod tamen in nullis hodiè amplius iudiciis servatur aut servari potest teste *VVesenb. comment. in bb 3. Cod. ad l. 13. De Iud.* sicut nec quadriennium illud observatur, attestante *Myns. I. obs. 51. Trent. vol. I. disp. II. thes. 3 l. a.*

41. Facienda autem est restitutio ita ut unusquisq; ius suum in integrû recipuit *l. 24. §. 4. ff. de mi* nam qui resti uitur sicut in damno morari non debet; ita nec in lucro. *l. unic. C. de Reput. quæ sunt. in jud.*

42. Petitiæ Restitutionis effectus (nam ante petitionem ipso iure exclusus est qui hoc beneficio opus habet; quamvis non videatur exclusus *l. 5. h. t. cum omissam actionem recuperare possit*) etiamsi adhuc pendeat, est, ut nihil possit innovari. *l. unic. C. in integr. Rest. post. Cujac. ibid. in paratit. lis enim per eam est introducta Rob. Lancell. in tract. de attentat. p. 2. c. 14. n. 20. & 25.* nec etiam sententia exequi. *l. unic. C. in integr. rest. postul. l. 32. C. De Transf.* etiamsi tres conformes fuerint sententiæ *Andr. Fashin. lib. 12. contr. c. 18.* modo causa Restitutionis in continenti doceatur. *Myns. I. obs. 48. & 6. obs. 80. n. 1. 2. 8. 9.* Quod tamen non procedit quando sententia est lata per Principem: tunc enim executio ejus, dato quod incontinenti probari possit per in integr Restit, non impeditur *VVurmb. I. pract. obs. tit. 25. obs. 1. per auctoritatem Alexandri adde omnino Sfort. Odd. p. 1. q. 42. art. 7. hanc quæstionem ampliantem & limitantem.*

43 Iure tamen Canonico, si præsumptiones sint, malo animo peti restitutionem, sententia executioni mandatur, si victor cautionem præstare possit: sin minus sententia suspenditur *c. suscitata extr. de Restit. in integr. Myns. I. obs. 48. & 6. obs. 80. n. 1. 2. 8. 9. Maur. c. 30. & c. 269.*

Obtentę

44. Obtentæ jam restitutionis effectus est : ut reddatur  
omne id quod læsio abstulit nec plus nec minus. *l. 24. §. 4.  
& l. fin. ff. De Minor.* Vnde etiam jus alteri ex læsione quasi-  
tum aufertur.

45. Et hæctenus de restitutionibus in genere : sequuntur  
ejus species.

46. Primò quidem de eorum restitutione qui ob incon-  
sultam ætatis facilitatem lapsi, vel circumscripti sunt, nempe  
de minoribus & qui horum jure utuntur : cum sæpissimè in  
jure per vocabulum Restitutionis in integrum sola hæc mi-  
norum significetur.

47. Minor in hac materia is est, qui nondum complevit  
omnimodò 25. an. & momentum horæ diei natalis sui tem-  
pus enim à momento in momentum hîc spectatur *l. 3 §. 3 ff.  
de minor.* cum non sit negotium civile ut tempus civiliter u-  
xta *l. 8. ff. de Fer. & dil.* computetur: ita ut quicquid in 24. ho-  
ris vel dimidiatis noctibus & luce media gereretur perinde  
esset ac si quavis horâ lucis actum fuisset: ut fit in Usucapione  
*l. 6. l. 7. ff. de Usurp. & usucap. l. 15. de divers. tempor.* Testamenti  
factione. *l. 5. Qui test. fac.* sed negotiû naturale, facti & solius  
naturæ, ut ita naturaliter & strictè supputatio sit ineunda.

48. Quod etiam rigidè observatur etiam si annus occur-  
rat bisextilis vel in bisextilem priorem aut posteriorem nata-  
lis dies incidat: adhuc enim est necesse ut totus bisextus tam  
prior quam posterior præterierit, quia hoc biduum pro uno  
die habetur *d. l. 3. §. 3.* & ita posterior cum priore confundi-  
tur ut singula unius diei momenta utriusq; videantur *Gail.  
ad l. 98. de V. S. n. 9.*

49. Hujus restitutionis originem ex tertio capite *L. La-  
torix*, quo fuit cautum ut læsus minor restitueretur *Forst.  
Histor. jur. de ll. Casar. & Anton.* deducit *Sfort. Odd. p. 1. q. 1. art.  
II.* exinde prætor edictum proposuit, quo tutelâ minorû fu-

B 2 scepit.

scepit. *l. 1. pr. ff. de Minor.* Habet autem rationem solius æta-  
tis *d. l. 1. in pr. l. 11. in fin. ff. h. t.* ut si minores sua facilitate dece-  
pti, quamvis dolus adversarii non probetur, *l. 5. C. De in in-  
tegr. Restit. minor.* vel ab aliis circumventi *l. 44. ff. h. t.* & læsi  
fuerint *l. 9. §. 4. ff. De jurejur.* restituantur.

50. Vnde patet cessare hoc edictum si læsio, casu fortui-  
to contingat *l. 7 §. 8. vers. Et districte. l. 11. §. ff. de minor.* nec e-  
nim eventus damni sed inconsulta facilitas restitutionem  
indulget. *d. §. 4. Boc. class. 6. disp. 10. th. 54.*

51. Et competit beneficium ex hoc capite aliis ex edicto,  
aliis jure minorum.

52. Ex Edicto gaudent hoc beneficio minores sive mu-  
sculi sive foemellæ, *l. 3. §. 5. h. t.* sive liberi sive servi sint, si res  
talis sit in qua servus aliquid amittit, quod jus ejus esse vult.  
*Donell. 21 comment. 7 per l. 5. ff. h. t. patresfam. an filii famil. ex  
his causis quæ ipsorum intersint & suo nomine sint obligati.  
l. 3. §. 4. 5. h. t. t. t. C. de filiofam. min. & ibi Cujac. in parat. & cu-  
juscunq; sint conditionis etiam Princeps si sit Sfort. Odd. p. 1.  
q. 3. art. 14.* De Jurisconsulto minore dubitatur: sed & ipsum  
etiam cum *clar. Bocer. class. 6 d. 10. thes. 4.* læsum in iis quæ fa-  
cti sunt, testitui posse statuo, non verò in iis quæ sunt juris.  
Turpe est enim causas oranti jus in quo versatur ignorare  
*l. 2. §. 43 ff. de Origin. Jur.* & multò turpius ignorantiam suam  
allegare.

53. Hæredi. *l. 6. ff. de Rest. in integr.* & successori etsi sint  
ipsi maiores *l. 18. in fin. ff. de minor.* datur.

54. Iure minorum hoc beneficio utuntur Prodigus &  
Furiosus, dummodo ipso iure obligati & læsi sint, propter æ-  
quiparationem cum minoribus. *Bach. in not. ad Trent. disp.  
11. thes. 8. l. h. vol. 1. Fr. Cald. comment. analyt. verb. minor. n. 61.  
Mutus, surdus, senus repuerascens & similes. Secundum Odd.  
p. 1. q. 3. art. 2. & 3.*

Eccle-



55. Ecclesiæ vel Cathedrales vel non Cathedrales per  
text. in c. 1. Extr. de restit. in integr. & c. 1. & 2. Eod. tit. in 6. & cæ-  
tera pia loca l. 35. C. de Episcop. & cler. sive auctoritate Episcopi  
sive pia voluntate Laicorum sint extracta, jure minorum re-  
stituuntur.

56. Respublica, sive sit Romana sive alia quævis, hoc ju-  
re gaudet l. Respubl. 4. C. Ex quibus caus. major. æquè enim  
alia civitas per administratores regitur & in ea pupilli & mi-  
nores reperiuntur quorum inter est Remp. ab omni damno  
& læsione seruari, quam Roma.

57. Vnde si Princeps maior læsit v. c. ex contractu jura  
sui Imperii vel Coronæ, jure minorum restituitur. Cald. com-  
ment. analyt. verbo Minor. n. 62. Reges tamen Galliæ quamvis  
minores 25. annis extra hunc casum, pro maioribus reputan-  
tur teste Bodino n. 132. de Repub.

58. In Castris, communitatibus, villis, universitatibus,  
collegiis approbatis, quia eadem rationes militent, quod  
nempe in iis reperiuntur minores & per Administratores  
regantur, idem ius esse censeo cum Odd. p. 1. quæst. 3. art. 10.  
& seqq.

59. Quo pertinet Fiscus si per Administratores lædatur.

60. Denegatur vero hoc beneficium si veniam ætatis  
minor impetravit, ne hi qui cum iis contrahunt principali  
auctoritate circumscripti videantur. t. t. C. de his qui veniam.  
ætat. Maur. c. 225. nec non si dolosè se maiorem dixit l. 2. 3. C.  
si min. se major. dix. cum iuxta statuta juris, errantibus non  
etiã fallentibus minoribus publica jura subveniant. Maur.  
c. 170. Gail. lib. 2. obs. 65. num. 1. item si maior factus compro-  
bat id quod in minore ætate est gestum l. 3. §. 1. ff. h. t. t. t. C.  
si major. fact. rat. hab.

61. Imploratur autem restitutio contra personam cum  
qua v. c. est contractū est, ejusq; hæredem l. 14. ff. h. t. aliquan-

8



do actio etiam contra tertium porrigitur *l. 13. §. 1. ff. h. t.*

62. Minor adversus minorem tum demum restituitur si hic de lucro captando, alter de damno vitando certet. *Maur. c. 218. Odd. p. 1. q. 18. art. 4. & 5.*

63. Contra eas tamen personas quibus reverentia debetur ut patronos & parentes non porrigitur. *l. ult. C. Qui & advers. qu. in integr. rest. non pos.*

64. Adversus omnes actus validos & de iure subsistentes, sive judiciales sive extra iudiciales sint *l. 7. pr. h. t.* dummodo minori sint præjudiciales, conceditur, quando enim ipsi læso nullum affert commodum non debet audiri qui eam petit: puta si ipso iure sit munitus: vel actus ex quo læsio cõtingit sit invalidus & nullus *l. 16. in pr. §. 1. ff. h. t.* de quibus actibus, ne sim longior, vide *Sfort. Odd. in tr. de rest. in integr. p. 2. q. 32. art. 1. & seqq. & q. 53. 54. 55. 56. 57.* qui inductione hanc propositionem probat & suis limitationibus & ampliacionibus in singulis actibus *illustrat. cui adde Coll. Arg. hic th. 4. & seqq.*

65. Excipiuntur autem quidam actus a lege nominatim & expressè, quidam per bonam consequentiam. Ad illos refero v. g. contractus & delicta ubi dolus minoris intervenit nec interest delictum an sit commissum committendo vel omittendo, item si adversus libertatem, *l. 3. §. ult. C. si adversus libert. l. 48. §. 1. l. 9. §. fin. h. t. l. 7. in pr. de dolo* sive cum vel sine causæ cognitione fuerit præstita vel servitutum. *l. 9. §. 4. h. tit. Quibus ad libert. proclam. sit petita.* Nec adversus confessionem adulterii *l. 37. §. 1. ff. h. t. vide Dn. Becer. class. 6. d. 10. thes. 56. & seqq.*

66. Ad hos refero v. c. veram contumaciam *c. 7. §. secus Desent. ex com. l. 6.* si scilicet minor cum curatore litigat, cuius præsentia eum non excusat a delicto vel dolo *Cald. in l. 3. Cod. de In. Mi. verb. lesis n. 3.* Vera enim contumacia dolus est *l. 199. ff. de Reg. Iur. adversus dolum autem minor non resti-*

646  
3  
restituatur. Renunciationem juratam *arg. l. & auth. Sacra-  
menta C. si advers. vendit.* Confessionem delicti *arg. l. 37. §. 1.  
h. t.* nisi errore vel imprudentia facta prætendatur & aliunde  
de delicto non constet. *d. l. 37.* sed de his vide plenius sæpius  
allegatum *Sfort. Odd.*

67. Subvenitur in hac specie restitutionum regulariter  
mero Prætoris officio & cognitione propria. Sic enim edicit  
Prætor Vti quæq; res est animadvertam. *l. 1. §. 1. l. 11. §. 3. h. t.*

68. Ita tamen demum subvenitur minori si minorenni-  
tatem suam probaverit. *l. 4. Cod. de in integr. Restit. l. 9. Cod. de  
Probat.* sive agendo sive excipiendo minor ætatem propo-  
nat *Maurit. c. 315.*

69. Probatur vel per testes, puta obstetrices, mulieres que  
parturienti matri adfuerunt, nutrices etiã *arg. l. 3. §. 3. de Car-  
bon. edict. vicinos arg. l. 9. C. de Nupt. l. 6. de his qui sui.* suscepto-  
res vel patrilinos: vel per instrumenta ut nativitatis scriptu-  
ram, aut alias demonstrationes legitimas *l. 2. ff. de except. tut.*

70. Hodiè libris paræcialibus, in quibus nomina & co-  
gnomina baptifatorum describuntur à Plebanis, probatur.  
*Maurit. c. 321.*

71. Parentum tamen depositio propter <sup>copyniv</sup> & arctissi-  
mum necessitudinis vinculum non immeritò est suspecta.  
Cum aliàs eorum testimonium in causa liberorum jus no-  
strum generaliter improbe *l. 6. C. de test.* Et præsumptio sci-  
entiæ, contraria falsæ depositionis præsumptione elideretur  
*Diss. Maur. c. 317.*

72. Operatur restitutio hoc ut minor & adversarius jus  
suum integrum recipiant *l. 24. §. rest. h. t. l. unic. C. de reput. quæ  
sunt in vid.* non tamen extenditur ad fidejussorem si ætatis  
auxilio minor juvetur. *l. 1. & 2. C. de Fidejuss. min.* imò etiam  
contra fidejussores ne mandati experiri possint restituuntur  
ll. sibi enim imputet cur pro eo fidejusserit quem in integrum  
restitui posse sciverat. Si

73. Si tamen creditori aliter sit consultum; ut in *l. 51. De Procur.* ubi creditor habet regressum contra ipsum principalem omissio fideiussore: & *l. 89. ff. De acquir. Hæred.* Vbi Creditoribus salva est actio contra debitores hæreditarios, fideiussori succurritur. Aliter limitat, *d. l. 1. C. De Fide. Gabr. Mud. in l. 2. C. De Fidejuss. minor. aliter Odd. p. 1. q. 48. art. 4. vid. etiam Cald. in comment. analyt. in verb. minor. num. 46.* Et hæc de prima specie sufficient.

74. Sequitur altera nempe quæ maioribus conceditur data recessoria actione.

75. Vbi ante omnia attendendum actionem hanc latius patere ea recessoria, quæ in *§. 5. Inst. de Action.* tractatur: ibi enim agitur de actione rescissoria quatenus in rem est, pro recuperanda re cuius dominium ipso jure amissimus: hæc autem est etiam recessoria in personam veluti si per absentiam actio temporalis est amissa. Et propriè non est actio, sed saltem qualitas & adiectio alterius actionis, eoq; respectu videtur dativa sed re ipsa est nativa.

76. Causa autem ex qua hæc actio oritur vel est specialis & nominatim expressa: ut est absentia iusta, cuius multæ species hoc titulo enumerantur & copiosè de iis tractat, *Odd. p. 1. q. 5. 6. 7. per tot.* Vel generalis & innominata quæ ex generali illa clausula conceditur si qua alia mihi iusta causa videbitur.

77. Iusta absentia causa est si quis Reipub. causa sine dolo malo absit. *l. 4. & 5. ff. Ex quib. causis major. ne officium publicum ei sit damnosum l. 29. ff. Ex quibus causis major.*

78. Sic milites expeditionibus occupati *l. 7. l. 34. l. 40. pr. ff. h. t. Reip. causâ abesse dicuntur dd. ll. & l. 4. ff. Ex quibus causis major. l. 3. de Restit. milit. nec refert si in patria siue extra patriam pro salute principis necessariò militent. l. 45. ff. h. t. Sic ij qui exercitum sequuntur licet non militent*

*l. 35.*

l. 35. in princ. & §. 6. h. t. & uxores militum restituntur. l. 1.  
& 2. C. de uxor. milit.

79. Iusta absentiae causa est metus mortis vel cruciatus corporis. l. 1. §. 1. l. 2. §. 1. l. 3. h. t. Vincula sive publica sive latronum: quamvis ob delictum in vincula quis sit coniectus, si procuratorem mittere non potuit l. 20. ff. de Minor. Nam hi cum non habeant facultatem agendi aut iudicem ad eundem restituuntur.

80. Si servus vel filius ejus, qui ab hostibus captus est, rem aliquam teneant ex causa peculiari in qua usucapioni locus est. l. 44. §. ult. de usurp. & usucap. l. 23. §. 3. tunc capti ab hostibus restituuntur l. 14. l. 15. h. t.

81. Appellationis causa evocatus l. 26. §. fin. h. t. studiorum causa absens iusta ex causa absunt.

82. Et generaliter quoties quis ex necessitate non vero voluntate abest, l. 26. in fin. ff. h. t.

83. Ex clausula illa generali restituitur quilibet qui propter impedimentum necessarium l. 16. ff. h. t. rebus suis superesse non potest & propter hoc laesus est.

84. Inserta est haec clausula edicto necessario: multi enim casus intervenire potuerunt, qui deferrent restitutionis auxilium: nec sigillatim enumerari potuerunt, ut quoties aequitas restitutionem suggerit ad hanc clausulam erit descendendum teste Ulpiano in l. 26. §. 9. ff. h. t.

85. Sunt haec impedimenta vel a persona ipsius laesi, vel a persona adversarii, aut a persona iudicis, aut a persona alienius tertii, aut a casu fortuito. De quibus vide Odd. de Restit. in integr. p. 1. quaest. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. Adde. Bocex. class. 6. disp. 10. thes. 22.

86. Non vero hac clausula subvenitur majori contra praescriptionem longissimi temporis si praetendat se ignorasse quod praescriptio curreret, & ita non continetur ignorantia l. 4. & l. 35.

C

3.C.

3. C. De præsc. 30. vel 40. ann. l. fin. C. de præscript. long. temp.  
l. ult. C. De fund. Patrim. lib. II. Non 119. c. 7. c. ad annes extr.  
De Præscr. c. 16. quæst. 4. Quibus textibus omnis actio omnis-  
que defensio post 30. vel 40. ann. negatur; & datur plenissi-  
ma munitio, securitas, & quies inconcussa. Sufficere enim  
debent tempor. præscript. Dominis ad inquirendas res suas  
ait *Iust. princ. Inst. de usucap.*

87. Datur hæc actio duobus casibus. Primo cum qui  
præsens est per absentiam alterius rem suam amisit: atque  
ita cum absens rem præsentis usucepit vel præscripsit.

88. Nec interest ex qua causa absit, etiamsi sit justissima,  
non debet tamen alteri patrocinari cum mea injuria: quod  
apparet. *ex §. 5. Inst. De Action.*

89. Si tamen absens reliquit procuratorem: vel alius sit  
qui absentem defenderet restitutio locum non habet. *l. 21. §.  
1. & seqq. l. 22. ff. h. t.* cum contra hos præsens possit instituere  
suam actionem.

90. Postquam verò constitutione *Iust. novissima in l. 2.  
C. De annal. except.* ordinarium remedium est proditum,  
quo præsentem contra absentem actio directa in suo statu con-  
servatur, non videtur Prætorio remedio locus esse.

91. Secundo cum qui absens est rem suam, usucapiente  
altero, qui præsens domi erat, jure civili amisit.

92. Et licet absens procuratorem reliquerit, tamen ei  
succurritur. *l. 26. §. ult. h. t.* maximè si à procuratore indemnis  
servari non possit.

93. Datur adversus eum qui possidet: aut dolo malo de-  
sistit possidere *arg. l. 16. §. 3. ff. de Pign. ejusq; successorem l. 30. h. t.*  
& quemcunq; alium ad quem res pervenit *l. 17. pr. h. t.* vel à  
quo actio præscriptione ex exclusa.

94. Ad id conceditur ut res ipsa cum fructibus *l. 28. §.  
ult. l. 29. h. t.* vel tantum temporis, quanto quis læsus fuit actio-  
ne amissa, restituatur *l. 26. §. 8. ff. h. t. l. 3. Cod. De Restitut.*

*milit.*

*milit.* & ita omnia in pristinum statum reponantur ut perinde sit ac si res ipsius nunquam fuissent usucaptę, nec actiones tempore extinctę.

95. Forma est quod Prętor causa cognita. *l. 3. in fin. l. 16. in fin. h. t.* actionem dat rescissoriam *§. 5. Inst. De action. l. 35. in fin. princip. De Obl. & act. l. 18. Cod. De his qui postlim. l. ult. ex quibus causis major.* vel institutoriam ubi videlicet alicui actio quę nunquam competiit à Prętore datur ut in specie *l. 41. & 43. ff. h. t.*

96. Datur autem intra annum utilem *l. 35. De Obligat. & act. & passim h. t.* cui hodie quadriennium est surrogatum. *l. ult. C. de temp. restit.* Et hæc de duabus restitutionum speciebus, paucis dicta sufficiant.

97. Nunc summariter & quasi per iudicem progrediendum ad eas restitutiones quę maioribus & minoribus sunt communes: quibus prętor iis succurrit.

98. Has tamen restitutionum species non esse vult *Sfort. Odd. tr. de restit. p. 1. q. 1. art. 16.* tùm quod jure actionis concedatur tùm quod in Codice prius tractetur de actione doli & metus causa, & postea demum ponatur tractatus, restitutionis in integrum in genere vel in specie.

99. Quę tamen rationes, quod pace tanti viri dixerim, non usque adeo sunt prægnantes ut à communi opinione recedendum sit.

100. Metum autem hic accipimus non quemlibet, sed justum timorem præsentem majoris malitatis *l. 5. ff. h. t.* & qui in hominem constantissimum potest cadere *l. 6. ff. h. t. Vvesenb. parat. h. n. 3.* propter instans, vel imminens periculum. *l. 8. C. de Rescind. vend.*

101. Tametsi in interpretatione justii metus discrimen esse faciendum inter virum & mulierem velit *Gail. lib. 2. Obs. 93. num. 9.* quod minor metus in fœmina ob sexus fragi-

C 2 litatem

litatem quam in viro admittatur *argum. l. 3. ff. Ex quibus  
causis major.*

102. Iustus metus est, metus mortis *l. 3. §. 1. l. 7. §. 1. h. t.*  
infamiae quae factio privati inferri potest, qui viris bonis ma-  
ior quam mortis esse debet *l. 8. §. 2. ff. h. t.* non autem huc  
pertinet metus infamiae quae legis autoritate vel sententiâ  
judicis irrogatur. *ut ex l. 21. in pr. h. t.* colligitur.

103. Huc pertinent etiam minae, siatroces & capitales  
fuerint atq; ab eo prolatae qui eas exequi & solet & potest.  
*Hilliger Donell. enucl. l. 15. c. 38. in not. lit. L.*

104. Nascitur igitur hæc actio ex delicto, *l. 14. §. 3. & §. 11.  
l. 16. in fin. ff. h. t.* & ideo personalis est, sed tamen respectu ob-  
jecti contra quem datur (ex quo actiones, num. personales  
vel reales sint æstimantur) rectè in rem scripta à Dd. nuncu-  
patur, est autem personalis arbitraria ideo quia arbitrium  
judicis sententiam definitivam præcedit. *Bach. ad Trent. vol.  
1. disp. 11. th. 5. l. b.*

105. Datur autem metu damnum passio: nec interest in  
se quis veritus sit an in liberis suis, cum pro affectu quem  
nullus alius vincit. *l. fin. in pr. C. de curat. Furio.* parentes ma-  
gis in liberis terreantur. *§. ult. Inst. de noxul. actio.* ejusq; hæ-  
redi, continet enim rei persecutionem *l. 14. §. 2. l. 16. §. ult. h. t.  
l. 3. §. C. h. t.*

106. Adversus metum illicitè *l. 3. §. 1. h. t.* inferentem *l. 9.  
§. fin. l. 16. pr. h. t.* ejusq; heredem in id quod ad eum pervenit:  
turpiter enim vel scelere quod est quæsitum ad compendi-  
um hæredis non debet pervenire *l. 16. §. ult.* item adversus e-  
um ad quem res pervenit, etiam si alius metum fecerit, datur.  
*l. 14. §. 3. §. 5. l. 16. h. t.* Quod si plures metum intulerint, adver-  
sus singulos datur in solidum. *l. 14. §. ult. ff. h. t.* etiam si ad u-  
num duntaxat res pervenerit. *l. 16. pr. ff. h. t.* unius tamen so-  
lutione ceteri liberantur *l. 14. §. ult. ff. h. t.* aut ab his exigitur,  
quod

quod minus ab illo exactum sit. *l. 15. ff. h. t.*

107. Contra contractum vel aliud negotium metu extortum: etsi enim ea quæ metu sunt gesta mero jure valeant, cum consensus in eo interveniat quamvis coactus *l. 21. §. ult. ff. h. t. l. 22. ff. de ritu nupt.* & is qui coactus aliquid facit non tam voluisse quam maluisse videatur: tamen auxilio Prætoris quod ita gestum est rescinditur: & id quod per metum abest redditur cum omni causa, *l. 12. ff. h. t.*

108. Speciale est in dotis promissione metu extorta, quæ ipso jure est nulla. *l. pen. C. de inut. stip.*

109. Adeo autem contractus vel factum jure civili permissum rescinditur ut, etiamsi juramentum super eo sit extortum, nihilominus hæc actio concedatur.

110. De jure tamen Canonico quando actus ipse contra bonos mores & salutem animæ non est, absolutio prius à juramento est petenda quam fiat restitutio.

111. Succurrit in hac specie Prætor dando vel actionem vel exceptionem & interdum in eadem specie actionem & exceptionem *ut in l. 9. §. 3. ff. h. t.*

112. Qua actione continetur ut qui jussu judicis rem, intra tempus arbitrio judicis determinatum, *arg. l. fin. §. fin. C. de Usur. rei vid. l. fin. C. de Execution. rei vid.* restituit, cum omni causa & fructibus, tam iis quos percepit quam his quos percipere potuit, *l. 12. ff. h. t. absolvatur §. 27. Inst. de Act.*

113. Sin ex contumacia dolosa & inobedientia reus non pareat huic jussui & arbitrio, tunc ex simplo fit condemnatio in quadruplum (ita ut triplum propter contumaciam accedat *l. 14. §. 1. ff. Quod met. causa.*) vel quanti actor in litem juraverit: quod tamen taxatione judicis refrenatur, *l. 18. pr. ff. de dolo. male.*

114. Restituenda autem est res cum triplo intra quadrimestre quia jam cessat ratio *l. fin. C. de Usur. rei vid. cum non*

ad solam restitutionem sed ad poenæ tripli scilicet exclusio-  
nem reus teneatur.

115. Hęc actio annalis est post annum datur solummodo  
in simplum *l. 14. §. 1. 2. 3. 4. h. t.* Metus deniq; quomodo probe-  
tur *videl. l. 14. §. 3. ff. Quod met. causa & Joseph. Mascard. de pro-  
bat. vol. 2. concl. 1054. & duabus seqq.*

116. Alter restitutionis modus communis tam majori-  
bus quam minoribus est actio doli.

117. Dolus alius est bonus alius malus *l. 1. §. 2. & 3.* alius  
verus qui manifestis indiciis probatur *l. 6. Cod. h. t.* alius præ-  
sumptus, qui indiciis non adeo perspicuis detegitur. Alius  
in re citra malitiam ipsius personæ, alius in persona dolo  
quid facientis.

118. Hęc actio nascitur ex dolo ab homine, & ut pluri-  
mum circa contractum commisso.

119. Definitur talis dolus à Labeone quod sit omnis cal-  
litas, fallacia machinatio, ad circumveniendum fallendū,  
decipiendum alterum adhibita. *l. 1. §. 2. h. t.*

120. Et dolus quidem aut dat causam contractui stricti  
juris & tunc ipso jure subsistit contractus, sed rescinditur a-  
ctione vel exceptione doli: aut dat causam contractui bonæ  
fidei & tum si solo consensu perficiatur ipso jure est nullus si  
dolus ei causam dans admissus fuerit, sin verò re perficiatur  
contractus, tum ob traditionem & rei interventum contra-  
ctus est firmus ut opus habeat rescissione *vide omnino Bach.  
in not. ad Trent. disp. 28. th. 2. lit. f. pag. 1060. & seqq. vol. 1.*

121. Hanc actionem pollicetur Prætor si alia non sit, nisi  
scil. sit æquè famosa, nihil enim Rei interest hac an alia æque  
famosa lædatur actione: hinc & qui metum fecit de dolo te-  
netur *l. 14. §. 13. ff. h. t.*

122. Datur hęc actio omnibus dolo deceptis *l. 1. t. t. ff. h. t.*  
& ejus hæredibus etiam filiæ ad renuntiandū sub juramento  
paternæ

paternæ hæreditati dolo inductæ *Myns. obs. 59. Gail. 2. obs. 147.*  
nisi sit à patre dolo inducta, quo casu non actio doli sed sub-  
sidiaria in factum datur *l. 5. in fin. C. De dol. l. 11. in fin. ff. eod.* vel  
nisi filia sit minorrenis, quia ubi ex alio capite restitutio da-  
tur cessat actio doli *l. 1. §. 5. ff. h. t.*

123. Adversus eos qui dolum committunt, etiam pupil-  
los pubertati tamen proximos. *l. 14. §. 1. ff. h. t.* eorumq; succes-  
sores quatenus ad eos pervenit. *l. 17. §. fin. l. 26. & 27. ff. h. t.* con-  
ceditur. Si plures dolo fecerint, & unus restituerit, omnes li-  
berantur. Quod si unus etiam quanti ea res est præstiterit, ad-  
huc cæteri liberantur. *l. 17. pr. ff. h. t.*

124. Non verò liberis & libertis adversus parentes vel  
patronos, nec humili adversus eum qui dignitate excellit,  
vel luxurioso adversus hominem vitæ emendatioris, in fa-  
ctum enim verbis temperanda est actio ut bonæ fidei men-  
tio fiat *l. 11. §. 1. ff. de dolo malo.*

125. Ad id agitur, ut res ex arbitrio judicis quod præce-  
dit, restituatur, si de dolo ipsius Rei agatur: sin de dolo de-  
functi, vel alterius, adversus eum ad quem ex dolo quid per-  
venit, ad id quod pervenit dolo ve ejus factum est quo minus  
perveniret *l. 17. §. 1. l. 26. 27. h. t.*

126. Cui arbitrio sinon pareatur, sequitur condemnatio  
ad id, quod interest, delato jurejurando actori in litem *l. 18. in  
pr. ibi ut possit per contumaciam suam tanti reus condemnari,  
quanti actor in litem juraverit.*

127. Durata autem hæc actio biennium, quod currit à tē-  
pore admitti doli & continuò *l. ult. C. h. t.* ubi illud singulare  
quod ei finiendæ biennium est præstitutum. *l. ult. C. h. t.* quo  
tamen elapso in factum actio superest. *l. 28. & 29. ff. h. t.*

128. Et hæc, tempore exclusus magis percurrere quam  
planè inter mittere malui.

129. Restant quidem aliæ species restitutionum ut  
quæ

8




que datur iis, qui per capitis diminutionem debitoris actio-  
nes amiserunt, item his quibus ab adversario re, vel posses-  
sione alienata, dolo malo molestus adversarius est subjectus,  
& ita durior iudicii exitus constitutus: sed quia de his agere  
nimis longum & fortasse minus necessarium esset,  
ideoq; hic subsisto lectorem ad alios  
autores remittens.


**FINIS.**

Strassberg, Diss., 1623-26

X2617020

WMA





DISQUISITIO  
SOLEMNIS  
*De*  
RESTITVTIO-  
NIBUS IN INTE-  
GRVM,

QUAM  
TRIADE S.S. PROSPERANTE DECRETO  
& auctoritate

Amplissimi ICtorum Ordinis in celebri Argen-  
toratensium Academia

*Pro summis in utroque jure honoribus & Doctoratus  
privilegiis consequendis,*

*Publico certamini subycit*

Ad diem 21. Iunii Anno 1624.

ULRICUS Lehenmair NEOBURGO-  
Palat.



ARGENTORATI,

Excudebat PAULUS LEDERTZ.

M. DC. XXIV.

17 46  
639

1624,6

8

